DE REMEDIIS STYPTICIS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

CONSENSV ET AVCTORITATE GRATIOSI
MEDICORVM ORDINIS

IN ALMA REGIA LITTERARVM VNIVERSITATE FRIDERICIA
GVILELMIA RHENANA

AD SVMMOS

IN MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ET VNA CVM THESIBVS ADIECTIS

DIE XVIII. MENSIS AVGVSTI MDCCCLXIV

PVBLICE DEFENDET

PETRVS DANIELS
RHENANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

C. SARTORIVS, MED. DR.
A. SCHMITZ, MED. DD.
I. CORCELIVS, MED. DD.

BONNAE
TYPIS FRIDERICI KRVEGERI.

VIRO ILLVSTRISSIMO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

SVMME VENERANDO

M. E. A. NAVMANN

REG. A CONSIL. MEDIC. INTIM., EQVITI ORD. AQ. RVBR. IV. CL.; MED. ET CHIRVRG. DOCTORI, MEDIC. PROFESSORI PVBL. ORDIN., INSTITVTI MEDICI CLINICI ET POLICLINICI IN VNIVERSIT. FRID. GVIL. RHEN. DIRECTORI, COMPL. SOCIET. SODAL. ETC. ETC.

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS

D. D. D.

AVCTOR.

Prooemium.

Nondum praeteriit multum temporis, ex quo intellectum est, quantum valeat sanguis in corporibus animalium. Etenim vulgo putabant homines in morbis multis sanguinem removendum esse: nec raro sanguinis pars iusto maior removebatur. Atque etiamsi imperitum vulgus maximam partem culpandum est, tamen ars medica non prorsus libera est culpae, qua locus etiam et tempus removendi sanguinis ex lunae stellarumque motu constituebatur. Nostra demum aetas perspexit, sanguinem in corporibus sustentandis maximi momenti esse fontemque, unde animal alatur, unde vivat. Quare ars medicorum recentior id sibi proposuit, ut parcatur pretioso huic fonti vitae. Quin etiam longius progressi sunt

medici: : si enim sanguine deficiente — sive morbis gravibus sanguis minutus, sive aliam ob causam profusus fuit — homo in extremum vitae periculum adductus erat, sanguis aliorum hominum robustorum omninoque validorum tranfusus est in vasa imbecillorum et debilium aegrotorum. Itaque haud raro factum est, ut aegrotus revivisceret novasque vires adipisceretur. Quae cum compararentur cum effectu sanguinis detracti, satis eam rationem probaverunt et stabiliverunt, quae hodie valet et ex qua sanguis corpori detrahendus non est nisi urgente aliqua necessitate. Fieri tamen posse, ut merito sanguis detrahatur, natura ipsa magistra docemur, quae, si sanguis nimis vehementer in organa fluit singula interna, sponte ut sanguis profluat efficit; qua re organa, velut cerebrum, oculus, pulmones defenduntur, quominus detrimentum capiant vel exstinguantur. Huiusmodi sunt profusiones fere cunctae, quae ex naso, ano, genitalibus oriuntur. Sed in his quoque ea lex observanda est, ne modum iustum excedant. Semper igitur, simulatque profusione sanguinis nimia valetudo aut vita in discrimen vocari poterit, medici est, omni via atque ratione, qua per artem licet, illam opprimere. Hoc faciendum est praeter illos casus quos memoravimus, si in operationibus ad removendam corporis partem aliquam susceptis, vasa dissecantur inque eis ora creantur, unde fluctus sanguinis libere prorumpat, aut si

vulneribus gravioribus tales viae aperiuntur. Praeterea, aut vi externa aut morbis aut diminutis vasorum parietibus sanguis in texturas profluit. Ubique vero artis via eadem est, quae naturae, si profusio suapte vi stat. Vas enim retrahi oportet et in tempus coagulo claudi, si omnino temporis momento profusio prohibenda est. Illud vero sanguinis coagulum non diluendum est, sed in telam potius coniunctivam se immutare nec non cum vasorum parietibus coniungi debet; non enim, nisi hac re, effici potest, ut firmiter et constanter vasa claudantur. Omnia autem quaecunque ad hunc finem aliquid conferunt, in cohibendo sanguine adhiberi possunt; cumque hoc et *via recta* in vasis apertis, et *indirecta* i. e. minuendo pressu sanguinis fieri possit, duo inveniuntur genera remediorum sanguinem cohibentium, quorum alterum viam directam alterum indirectam tenet.

Ad genus prius pertinet pressus et obstructis directa, quam nos dicimus Tamponade, corporaque sugendo adhaerentia; tum gravissima pressus directi ratio, ligatura eiusque modi varii, circumvolutio, acupressura. His remediis proxima sunt, quae vasa vehementer concitata aut ut redeant coeantque cogunt, aut sanguinem constantem concretumque reddunt. Huius modi sunt frigus, cauteria, aliena corpora illata, electropunctura, remedia denique directe in vasorum ore adhibita.

Alterius generis, sive rationis qua profusio sanguinis

indirecte impeditur omnes sunt methodi quae sanguinis affluxum minuunt; id quod pressu aut ligatura vasorum afferentium aut contractione efficienda aut omnis sanguinis affluxu debilitando, detractione sanguinis, cordis functione minuenda aliisque remediis effici potest.

Nolo tamen vias et rationes omnes explorare, quae in sanguine sistendo exercentur. Ut enim omittam remedia quae in arte chirurgica ad sistendum sanguinem adhibentur, ligaturam, similia; ut praeterea frigoris et caloris vim in eundem finem usurpatam taceam: id mihi solum proposui, ut remedia styptica quae dicuntur accuratius explorem et inquiram, quatenus aut directe aut indirecte efficiunt, ut cohibeatur sanguinis profusio.

Nomen ipsum haud ineptum est ad vim ac naturam remediorum ita nuncupatorum ostendendam. Etenim *στύφειν* idem est quod latine dicitur „*astringere*“ unde *στυπτικὸν* *Plinius* dicit „*astrictorium.*“ Sunt autem *στυπτικὰ* sive *ὑποστύφοντα*, si modice astringunt, sive generatim dicta *στύμματα* antiquis spissamenta quaedam quae oleis, succis, unguentis admiscentur odoramenta imbecillia, ut ea liquidiora per se spissescant. Facultatis enim praecipue sunt astrictoriae, cuius vis est spissare. Sua igitur qualitate laxiorem substantiam cohibent, i. e. corporis sui natura liquidiorem substantiam spissiorem crassioremque efficiunt.

Ad remedia facilius perlustranda ab initio distinguimus ea quae directe agunt ab indirectis.

Illa sunt Acidorum genera, Adstringentia quae proprie dicuntur, Acidum tannicum; Salia (Natrium chloratum; Ferrum sulfuricum, Liquor ferri sesquichlorati; Alumen; Zincum sulfuricum, Zincum muriaticum; Cuprum sulfuricum; Plumbum aceticum).

Haec sunt Digitalis et Secale cornutum.

In quibus remediis si effectus alios memorabimus virorum clarorum auctoritatem secuti sumus.

De remediis stypticis.

Remedia styptica directe agentia.

A. Acida.

Acida ut styptica non infimum locum in profusione sanguinis cohibenda obtinent. Ita autem agunt Acida ut primum coagulum efficiant, tum contractionem in structuris fibrosis atque erectilibus excitantque eadem tonum debilitatarum fibrarum musculorum in vasis, unde perspicitur, cur tam acriter et strenue agant in profusionibus sanguinis quae texturis iam debilitatis et desidentibus na-

ae sunt. Illa ipsa causa, quod Acida primum coagulum creant, tum demum contractionem, efficit ut Acida magnopere ab eis remediis differant, quorum vis summa in contractione posita est, quam in fibras vasorum exercent, contractisque potissimum vasis profusionem sanguinis impediunt; cum contra Acida, ut in profusionibus externis videri et explorari potest, coagulis efficiendis sanguineque ut concrescat cogendo illud peragunt atque hanc ob causam prae ceteris summo iure nomen stypticorum obtinent.

Efficacia igitur illa qua Acida contrahunt magnopere differt a simili illa Acidi tannici ita, ut in hoc Tanninum cum Albumine texturae firmiter coniungatur, Acida vero texturae humorem tantummodo detrahant atque Albumen texturae et sanguinis concretüm constantemque reddant. Adhiberi solent autem, ut supra iam diximus, in profusionibus sanguinis quae ex telis mollibus oriuntur.

Acidum sulfuricum vim, quam modo descripsimust quam maxime possidet. Si admodum dilutum est, id agit, ut fluctio abnormis in systemate vasorum minuatur. Si vero dilutum omnino non est, valde mordens et arrodens agit atque etiamsi parvae adhibentur particulae sufficit, ad sanguinem ita in coagula contrahendum, ut vita adeo in periculum vocetur. *Orfila* induxit grana triginta sex huius Acidi concentrati et mixti cum totidem aquae partibus ponderis eiusdem in venam iugularem animalis;

quo facto fere statim illud mortuum est. In corpore aperiendo cum in corde tum in vasis maioribus magna macularum nigrarum multitudo inventa est, quae sanguine concreto consistebant. Similis admodum fuit extenta vena cava. In pulmonibus dissectis tota planities punctis nigris distincta apparebat, quae itidem sanguine concreto nata erant. In profusionibus praesertim ex utero exortis Acidum sulfuricum intrinsecus in Acido Halleri cum eventu prospero ut nonnulli contendunt dari solet, in vulneribus telis iniectis aut carne distracta factis, in forma aquae vulnerariae Thedenii.

Acidum phosphoricum magis mite est, quam cetera mineralium acida, nec tamen efficacia caret; si enim concentratum illud in venas iniicitur, sicut *Orfila* experimentis ostendit, sanguine celeriter in coagulum concreto mortiferum est.

Acidum nitricum similes quidem sed multo vehementiores effectus habet, eoque in venas iniecto mors adducitur celerrime coagulis sanguinis ortis. Intrinsecus illud, etiamsi parvae doses sumuntur, nocet cibis concoquendis ideopue plerumque evitatur; nec minus extrinsecus, cum eius usus prudentiam maiorem postulet quam cetera Acida, vix ut stypticum usurpatur.

Acidum hydrochloratum, ut cetera acida in sanguinem iniectum, celeriter coagula producit; nec tamen in-

trinsecus neque extrinsecus ut stypticum adhiberi solet.

Dicitur Acidum Tannicum unicum esse Acidum organicum, quod Albumen praecipitet, quodque igitur efficiat ut sanguinis fibrinum coalescat — id quomodo eveniat accuratius describemus. Cui affirmationi oppugnat *Lieberkuehn*, qui arbitratur, *Acidum quoque aceticum* corpora albuminosa praecipitare. Fulcit sententiam suam inde, quod coagula durantia esse observabat inveniebatque sentinam Acido acetico ex Albuminibus dilutis praecipitatam Albumine puro consistere. Atque haec opinio experientia insuper therapeutica comprobari videtur. Observatum enim est profusiones sanguinis cohibitas esse in organis diversis, praesertim in metrorrhagiis, in pneumorrhagiis profusis et in profusionibus intestinalibus vomituque sanguinis. Cui tamen sententiae disquisitiones recentiores oppugnant, quas *Panum* (cf: Virchow Arch. V. 2 1853) instituit et defendit. Huic enim probabile videtur, Acidis Albumina non praecipitari, ex materiis albuminosis, quas diluunt, substantiam novam gigni differentem ab aliis corporibus protëini, ita ut sub aqua dilui possit, hanc vero novam substantiam aere facultatem perdere qua dilui possit. Postea *Lieberkuehn* quoqne experimenta sub aqua instituit et continuo coagula nasci observabat, aëre corpora non tangente.

Ex hoc genere denique Acidum tannicum sive *Tanninum* magni pretii semper habebatur. Est pulvis ex parte albus ex parte fulvus, forma carens et odore, saporem habens contrahentem, Lakmum valde rubrum faciens, aqua facile solutus. Est hoc acidum organicum unicum, quod Albumen quaeque inde derivata sunt praecipitat i. e. cum eo coniunctionem efficit irresolubilem.

Continetur hoc Acidum tannicum in Catechu, in Kino, in radice Tormentillae, in Gallis turcicis, in cortice et glande Quercus, in radice Ratanhae, in cortice Ulmi, in sanguine Drakonis, in foliis et cortice viridis nucum *Iuglandis,* in Monesia, in China. Haec remedia omnia saepe numero eatenus adhibentur, quatenus Acidum tannicum continent. Quod Acidum tannicum commode et admodum facile invenitur in Gallis turcicis, quae in pulverem mutatae et Aethere diluto extrahuntur. Gallae turcicae in centenis particulis tricenas quinas usque ad quadragenas particulas Acidi tannici continent.

Efficit autem illud, ut στυκτικὸν primum vasorum contractionem activam, tum ut coagulum firmum sanguinis oriatur. Cum albumine texturarum coniunctum et telis aquam detrahens, ut contrahantur ipsae telae facit. Hunc in modum minuitur musculorum vis elastica itidem textura cellulosa diminutione contrahitur unde sequitur voluminis parvitas. Nervorum quoque systema eundem

in modum illinc movetur. Ita si in membranam vasorum plenam Acidum tannicum tantopere dilutum ingeritur, ut coagulum non statim nasci possit, mox vasorum spatia aperte coarctantur.

Observavi hoc ipsum in mesenterio caniculi quod debili Acidi Tannici dilutione tetigi; cum in sanguinem ipsum effectus nullus appareret, ille non potest aliter explicari, nisi ut ea re incitati esse putentur nervi vasomotorii, quod Acidum Tannicum his aquam detrahebat coniungebaturque cum substantiis albuminosis nervorum. Usus illius in profusionibus sanguinis, quae condicionibus atonicis natae sunt, inde intelligi potest. Prae ceteris vero condicionibus styptice agit Tannicum sanguinem ipsum directe immutans. *Buehring* qui de Tannini effectu styptico disquisitiones accuratas instituit atque publici iuris fecit *(cf. Med. Cntr.-Zeit. 84. 86, 94. 1854)* affirmat, in parenchymatosa sanguinis profusione nullum remedium Tannino efficacius esse. Spongiam humidam Tannino puro conspersam in eum locum ducit unde profluit sanguis; in resectionibus, exstirpationibus, vulneribus arteriarum obliquis eventus vidit prosperrimos, ne motu quidem aut dolore excitato. Contra vehementes metrorrhagias idem remedium adhibetur, Tannino in linteo vulso et humido introducendo aut diluto sed satis valido iniiciendo. Quare Acidum Tannicum cum Fibrino, quod ex albumine derivatum est, coniungitur et

coagulum firmum durumque efficit. Quod a vasorum ore ortum sensim sensimque in vasa penetrat, ubi profusione diutius cohibita ex thrombo ita formato nova exstant vasa, dum corpusculi sanguinis albidi in telam abeunt coniunctivam, ita ut ipsi vasorum parietes concrescant.

B. Salia.

E Salium numero, quae ut styptica adhiberi solent, primum nobis erit *Natrium chloratum* memorandum. Et salia neutra et media quidem ita in sanguinem agunt, ut *Nasse* multis observationibus docuit, ut sanguinem tenuem et liquidiorem, minus aptum ad coeundum, fibrino pauperiorem, aquae divitiorem reddant. Eo magis memorabilis est efficacia celeris, qua nonnulla sanguinem cohibent. Ita natrium chloratum in profusionibus imprimis, quae ex pulmonibus ortae sunt, admodum validum apparet. Quae vis sine dubio aliter explicanda est, cum in sanguinem illa efficacia prorsus sit contraria. „Videtur stomachus tantummodo nauseosam pati excitationem indeque cor vasaque bronchiorum fortius per media sympathica centrorum nervorum contrahi, indeque demum sanguinis profusionem cohiberi“. Necessitate valde urgente, saepe doses dimidii totiusve cochlearis maioris compluries post quartam quamque horae partem datae

sufficiunt ad vehementes profusiones ex pulmonibus natas cohibendas.

Describenda nunc vis styptica praeparatorum *Ferri* et prae ceteris quidem ferri sulfurici, cumque eo liquor ferri sesquichlorati memorandus est, quod remedium utrumque ut valde adstrictorium laudari solet. Et prius quidem in usu non solum interno intestinorum plana a se tacta aggreditur, sed organa quoque remotiora quibuscum per sanguinem communicatur. Valde autem contrahit et coarctat lumen vasorum. In usu externo si subtiles, perlucidas membranas tangit, haec vis satis apparet.

Liquor ferri sesquichlorati cui vis est per coagula celera sanguinis cum corporibus protëini eius ad coniunctionem irresolubilem coeundi, non minus quam cetera remedia, atque a medicis praecipue Francogallorum usurpari solet ad profusiones sanguinis cohibendas. *Pravaz* hanc virtutem liquoris ferri sesquichlorati ostendens proponit ut ad aneurismata et varices removenda ille liquor in eas iniiciatur simulque arteriae trans aneurisma comprimantur. *Darvoult (Bullet. de Thérap. Mai 1853.)* experimentum fecit quod rem probavit in equo, cuius in dextram arteriam Carotidem sex septemve guttas liquoris diluti iniecit. Temporis momento constitit sanguis et post horae partem sexagesimam sistebatur sanguinis cursus, lumine arteriae valde coarctato. Die proximo arteria etiamtum contracta

manserat, cum tamen pulsus debiles iam observarentur; post septimum diem cursus sanguinis in dextra arteria Carotide prorsus restitutus erat. Quo facto guttae quindecim in sinistram iniectae sunt; primumque eidem eventus apparuerunt. Sed cursus sanguinis in arteria non restituebatur. Equo interfecto dextra arteria Carotis mutationem nullam ostendit graviorem; sinistra vero eo loco ubi ad liquorem iniiciendum dissecta fuit satis longum tumorem ostendit texturae cellulosae condensatae. Supra hunc locum arteria prorsus valida manserat, ibi contra ubi condensata erat concrescenda intima acteriae membrana in 3 Ctmtr. obliterata. Membrana ipsa fuit rugosa cum pure crassiore inter quod sanguinis coagula immixta erant. Infra locum obliteratum itidem coagula inveniebantur quae tamen totum arteriae lumen implebant. Magnitudo igitur mutationis efficitur magnitudine iniectionis sive coaguli. *Lallemand*, *Niepce*, *Lenoir* et *Debont* (*Bulletin de thérapie Sept. 1853*) commendant hunc usum, postquam in hominibus probaverunt. *Malgaigne* eventum peiorem expertus est, neque ergo commendat. Intrinsecus item atque extrinsecus alioquin contra profusiones minores omnis generis, sed in partibus minutis, dari solet.

Magis laudatum usurpatumque stypticum est *Alumen*. Hoc est sal duplex et consistit ex Aluminio

sulfurico et Kalio sulfurico et aqua. Alumen quoque a vi quam plerumque habent salia media quaeque sanguinem liquidiorem reddant, ita differt, ut cum corporibus protëini in aqua coniunctiones ineat irresolubiles. Constringit fibras musculorum vasorum, omnino texturas. Has duas ob causas adhibetur ut stypticum. Si intus adhibendum est, *Clarus* utilitatem futuram esse non nisi ea condicione putat, si eam ipsam partem unde profluit tangere possit. Alumen enim raro resorberi, in parvis igitur dosibus vim non habere, in maioribus vero arrosionem et inflammationem membranae mucosae tractus intestinalis creare. Extrinsecus contra si adhibetur, eventus quam celerrime apparet in profusionibus cunctis, quae sive debilitate et dissolutione partium texturarum sive vulneribus — in quibus videlicet non plus sanguinis amittitur, quam ut styptica omnino adhiberi possint — exortae fuerunt.

Commemoranda sunt nonnulla alia Salia atque primum Zincum sulfuricum et Zincum muriaticum. His sanguis ita cogitur ut coeat concrescatque unde coniunctio nascitur Zinci et Albuminis. Atque optimum est, si dosis parva adhibetur, quia alioquin coagulum Zinci et Albuminis rursus in Sale Zinci supervacaneo diluitur. Eadem vero Salia non minus adstrictorie agunt. Maiores vero doses arrodere solent plana quae tangunt loca. Plerumque adhibentur extrinsecus ad iniiciendum in metror-

rhagiis, in profusionibus ex intestino recto atque ex naso exortis.

Similia fere sunt ad usum et eventum *Salia Cupri* e quibus optima sunt ad coagula creanda et adstringendum ea quae ex Cupro et Acidis anorganicis consistunt.

E Salibus *Plumbi* prae ceteris Plumbum Aceticum ut stypticum haud raro usurpatur. Est enim Sal quod aqua facillime diluitur et omnino maximam vim habet in contractione vasorum aliarumquc texturarum, quae contrahi possunt, valde augenda, ita ut coniunctio plumbi corporumque albuminosorum texturarum evadat. Si vero diutius sumitur plumbum, nonnisi maxima prudentia agendum est, ne corporis intoxicatio quaeque inde nascuntur pericula oriantur. Plumbum igitur aceticum saepenumero in profusiones ex stomacho et intestinis adhibetur. *Clarus* suadet, ut in profusionibus sanguinis ex stomacho ne statim post haemorrhagiam factam plumbum admittatur, cum stomachus ad excitationem maxime inclinans ad profusiones novas adigatur aliaque remedia multo sint validiora. In diuturnis tantummodo repetitisque profusionibus stomachi plumbum iure et cum fructu admittitur, sedtamen causa semper observata qua profusio orta sit et natura stomachi explorata, num nimis sit sensibilis. Similis prudentia tuenda est in profusionibus ex intestinis natis. Extrin-

secus plumbum aceticum utile est ad iniiciendum in diuturnis metrorrhagiis et in profusionibus ex naso aqua dilutum intus trahitur. Itidem probam ostendit utilitatem contra profusiones in organo cutis.

Remedia styptica indirecte agentia.

A. Digitalis.

Haud raro ut stypticum adhibetur Digitalis purpurea, cuius folia capsulae et semen pro medicamento habentur. Et praecipue quidem Digitalinum est, quod agrediendo systemate vasorum sanguiferorum eventum in profusione optabilem efficit. Memorabilia autem sunt experimenta quae fecit *Traube* ad vim Digitali in systema vasorum sanguiferorum exercitam penitus explorandam

Invenit enim ille, ut capita quaeque disquisitionis paucis perlustrem, Digitali effectum excitationemque in systema nervorum cordis „regulatorium“ exerceri. Contractiones cordis, quas experimentis factis *Eduardus Weber* eumque secuti *Ludwig* et *Volkmann* centris nervorum in ipso corde iacentium effici ostenderunt, systemate regulatorio impediuntur, ipsoque impedimento regulantur. Centrum autem systematis regulatorii est medulla oblongata, illudque fibris, quae in nervis vagis currunt, cum corde coniunctum est. Si medulla oblongata aut nervi vagi excitantur, multum minuuntur cordis contractiones, sin nervus uterque dissecatur eorumque functiones, ut par est, sistuntur, magnopere augentur cordis contractiones. Experimenta igitur Digitali danda facta ostenderunt, si parva dosis sumitur, cordis contractiones diminui, si maior, numerum contractionum augeri perinde atque in nervis vagis dissectis.

His igitur experimentis *Traube* ostendit, quam vim *Digitalis* in systema regulatorium exerceat. Praeterea *Digitalis* sanguinis pressum in parietes arteriarum indeque ipsius celeritatem minuit. Et hac potissimum re fit, ut *Digitali* insit vis styptica.

Clarus in patris nosocomio saepissime eventus optimos Digitalis in profusionibus sanguinis observabat, qui in hominibus satis validis cum turgore vasorum et febris initiis coniuncti apparuerunt. Imprimis si sanguis

ex pulmonibus profluebat in tuberculosi huius organi non nimium progressa et in hypertrophia cordis usus Digitalis admodum commendandus esse videbatur. Nec minus si ex genitalibus profusiones exortae erant, satis magnam utilitatem *Carus* observabat.

B. Secale cornutum.

Alterum remedium huius generis est *Secale cornutum* a nonnullis vero ad cohibendum sanguinem etiam directa via adhibitum. Est fungus, qui praesertim humida ac pluviosa aestate in semine frumenti et in variis quidem generibus familiae Graminearum, i. e. tritici, hordei, avenae, praecipue vero in semine secalis nascitur. Ibi granula format a paucarum linearum ad unius et dimidii pollicis latitudinem. Quorum figura est cylindrica aut trigonalis, plerumque paullulum incurvata. Odor prorsus deficit, sapor vix sentiri potest, color ex rubro fuscus aut niger, intus vero albus.

Ut *Wiggers* arbitratur, *Ergotinum* pars efficax est in Secali cornuto et ille parat hoc extrahens aethere et

spiritu vini coquente adhibito atque incoquendo. Ergotinum ita natum pulvis est ex fusco ruber, ad gustum amarus ad odorem taediosus, qui vix aqua, omnino non aethere, spiritu vini non nisi in eo detritus dilui potest cum colore ex rubro fusco. Secale cornutum, si doses maiores adhibentur, admodum efficax est, turbat vel adeo destruit organismum. Excitat taedium, nauseam, siccitatem in gula, removet apptetitum ciborum, creat dolores in stomacho, amentiam, amplificationem pupillarum, si una duaeve drachmae sumuntur. Plus si sumitur Raphania quam dicunt inde oritur, quae nunc, ut ita loquar, convulsiva nunc gangraenosa est. Si vero tantum sumitur, ut organismus non in periculum adducatur — de qua condicione nos infra semper loquemur — cum alias ob causas tum ut stypticum valde laudatur. Ut igitur effectum stypticum Secalis cornuti sive Ergotini explicare possimus, necessarium est, ut exploremus, quomodo se habeat sanguinis cursus post adhibitum Ergotinum. Ad hunc ipsum finem *Arnal*, doctor medicinae, in suo corpore pericula fecit, quibus intellexit sumpta dose parva pulsus arteriarum intra horam sextam non octogies quater sed sexagies quater repetitos esse singulis minutis incolumi etiamtum rhythmo. Si corpus non movetur pulsus octoginta quatuor ad septuaginta minuuntur. Si igitur pulsuum frequentia utrimque comparatur, Ergotino maior pulsuum diminutio efficitur; et sex qui-

dem pulsibus maior quam quae diminutio sola quiete oritur. Ipsius igitur cordis efficacia non multum mutatur. Aliter contra se habent vasa peripherica. *Spitzer* (Gazett. de Par. 31. 1854) affirmat se experimentis de Ergotini efficacia factis id perspexisse, primum illius effectum non systema nervorum, ut vulgo concludebatur ex amentia et amplificatione pupillarum et al., sed systema vasorum aggredi. „Amplificatio pupillae, inquit, effectus est desinentis turgescentiae vasorum Iridis, amentia efficitur sanguine a peripheria in centrum refluente, unde nascitur in magnis vasis cerebri hyperaemia. Raphania vero, sive Ergotismus, quae nota sunt, prodromi sunt desinentis in peripheria nutritionis organismi et ut ita dicam convulsiones agoniae partialis et gangraenae siccae, quae sequitur. Sanguis e peripheria in centrum refluens premit et nervos et alias telas sicuti videre unicuique licet cum sanguine valde iniectae appareant. Si gangraena partialis, quae Ergotino efficitur, effectus illius in systema nervorum esset, perspici non posset, cur hic effectus in peripheria potissimum appareat; si vero effectus eius directe vasa aggreditur, facile intelligitur, vasa minora peripheriae celerius concitari vel etiam ad obliterationem adduci posse, quam maiora quae adhuc impulsu centri, unde omnis circumfluit sanguis, reguntur." Ex therapeuticis quoque effectibus ostendere vult, sententiam suam veram esse. Ita metrorrhagiam, dicit, can-

dem ob causam finiri, et immerito esse qui affirment hoc remedio adhibito contractionem uteri sanguinem cohibere. Immo sanguine demum cohibito uterum contrahi, cum metrorrhagia in virginibus quoque finiatur, in quibus uteri contractio nulla excitetur. Inde progressus, quod Ergotino fieri possit ut lumen vasorum praesertim extra modum amplificatorum reducatur, arbitratur, illud ipsum remedium in morbis adhibitum qui fluctionem aut nutritionem pathologicam habeant, magnam efficaciam possidere; non solum si intrinsecus, sed etiam atque fortius quidem, si ut remedium topicum usurpatum planum aliquem locum tangat, unde absorptionem sufficientem exspectare liceat. Itaque loco laudato nonnulli morborum casus enarrantur, e quibus multa docemur.*) In exter-

---

*) *Mademoiselle G . . . , fille de magasin, fut atteinte d'une metrorrhagie chronique devenue dangereuse par sa durée et son abondance. Cette hémorrhagie résista à l'usage interne et même aux injections de l'infusion et de la decoction refroidies du seigle ergoté. Je fis alors faire un suppositoire composé de seigle ergoté en poudre et de conserve de roses, saupoudré avec de la poudre de roses de Provins. Je fis introduire ce suppositoire le plus profondément possible dans le vagin et retenir en place par un tampon de coton cardé. L'hémorrhagie a diminué le même jour et cessé tout à fait après quelques jours de traitement.*

Le mois suivant les menstrues reparurent comme à l'ordinaire pendant quelques jours, au bout desquels, au lieu de s'arrêter, l'hémorrhagie se manifesta de nouveau.

na usurpatione remedii Bonjeau hasce proposuit condiciones in quibus Ergotinum cum ternis usque ad senas particulas aquae mixtum ipse dat. Primum, si ad profusionem sanguinis periculosiorem sistendam vulnus, quod modo cicatricatur, rursus distrahendum foret. Tum si quis ad mortificationem inclinat et ligatura imposita gangraena metuenda est. Tertium, si vasa unde sanguis profluit nituntur loco inflammato aut mollito. Tum si sanguis e vasis parvis profluit quae inveniri nequeunt. Postremo si profusio nata est eschara decidente. Intus Ergotinum adhibetur praeter metrorrhagias contra profusiones sanguinis ex tractu intestinali, organis uropoeticis, pulmonibus et dosibus quidem non nimiis; atque Ergotinum purum gr. iii compluries per diem. Et hic quoque eventus prosperrimi enarrantur.

Le même moyen la fit encore cesser, mais cette fois, pour ne plus revenir. Depuis lors la malade est réglée d'une manière très normale à chaque époque habituelle.

Le docteur Yvan, jadis professeur d'histoire naturelle à l'Ecole de medicine me parla un jour d'une metrorrhagie qui le préoccupait fort, parcequ'elle resistait même à l'emploi du seigle ergoté à l'interieur. Je lui proposais de faire des injections vaginales avec la decoction refroidie du seigle ergoté. Après avoir suivi mon avis, cet honorable médecin est venu loyalement m'annoncer le succès prompt et complet.

VITA.

Natus sum Petrus Daniels Bonnae anno MDCCCXXXVII die XXI mensis Octobr. patre Conrado, matre Catharina e gente Ehlen, quos adhuc superstites pio gratoque animo colo ac veneror, quosque Deus in posterum mihi servet incolumes.

Primis literarum elementis imbutus gymnasium Bonnense frequentavis Maturitatis testimonio munitus auctumno anno h. s. LX almam literarum universitatem Rhenanam adii et rectore magnifico Troschel apud clar. Kilian, gratiosi medicorum ordinis decanum, nomen professus sum. Per quatuor annos scholis interfui virorum clarissimorum: Albers, Binz, Bischof, Busch, van Calker, Deiters, Doutrelepont, Kilian, Naumann, Nettekoven, Pflüger, Pluecker, Saemisch, Schacht, Schaaffhausen, Schultze, de la Valatte, Veit, C. O. Weber, M. I. Weber, Wutzer.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias habeo quam maximas, semperque habebo. Praeterea facere non possum, quin gratias quas possum maximas agam viro spectatissimo, professori illustrissimo M. E. Naumann, qui initio huius semestris assistentis munus benigne in me contulit ob summam erga me humanitatem et benevolentiam.

VITA.

Natus sum Petrus Theodorus Bonnae anno MDCCCXXXVII die XXI mensis Octobr. patre Conrado, matre Catharina e gente Ehlen, quos adhuc superstites pio gratoque animo colo ac veneror, quosque Deus in posterum mihi servet incolumes.

Primis literarum elementis imbutus gymnasium Bonnense frequentavi. Maturitatis testimonio munitus autumno anni h. s. LX almae literarum universitatem Rhenanam adii et rectore magnifico Troschel apud virum illustrissimum Kilian, gratiosi medicorum ordinis decanum, nomen professus sum. Per quadriennium scholis interfui virorum illustrissimorum: Albers, Binz, Bischof, Busch, van Calker, Deiters, Doutrelepont, Kilian, Naumann, Nettekoven, Pflüger, Plücker, Saemisch, Schacht, Schaaffhausen, Schultze, de la Valette, Veit, C. O. Weber, M. I. Weber, Wutzer.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias habeo quam maximas, semperque habebo. Praeterea tacere non possum, quin gratias quas possum maximas agam viro spectatissimo, professori illustrissimo M. E. Naumann, qui [illegible] summo benevolentia [illegible] benigne in me consuluit, ob summam erga me humanitatem et benevolentiam.

THESES.

1. *Parthenogenesis non est; quae si facta videtur, re vera Hermaphroditismo effecta est.*
2. *Gangraena senilis non exoritur, nisi arteriis obturatis.*
3. *Pulmonum docimasia nou sufficit ad infanticidium constituendum.*
4. *Spatio pelvis exostori magna eoarctato, foetus maturus sine ulla operatione, vi naturae edi potest.*